

mnis, indulget pravis affectibus, varia praejudicia temerarie proponit, Scripturae alia Conprincipia affuit, imo Ecclesiae tranquillitatem turbat & pervertit. Illam, non hanc, LUTHERVS reduxit, nobisque sobrie utendam restituit. (II.) Esse *nudam principii petitionem*, nostram Evangelicam Religionem, pro externa quadam invitatione ad aliud amplius credendum habere & existimare, isti enim, qui in rectis viis erumpunt, (seu *in rechten Wegen hervorbrechen*) non prius nobis opponi debent, quam demonstratum fuerit, repugnare Doctrinam a Luthero restitutam, e diametro verbo divino. (III.) *Competere summo Magistratui* omnino ex Jure circa sacra ipsi vindicando, ut pro vera doctrina in verbo DEI fundata, per sua Consistoria vigilet, quo simul cum ea boni christiani mores promoveantur, offendicula autem doctrinae & vitae serio vitentur, idque nulla ratione coercionem civilem ad religionem amplectendam, (*einen Gewissens-Zwang*) sed actum potius paedagogicum dici & nominari posse, quod fusius probavit multis & adhuc invictis rationibus Summe Reverendum in hac Academia Theologorum Collegium *dato Responso in causa Pietistica Waldeccensi p.5. seq.*

§. IV. (IV.) *Lutheri mentem non recte teneri*, adducta enim verba tantum docent, quod haeretici non capitali poena, igne & ferro, ob nudam haeresin non conjunctam cum blasphemia & seditione, sint afficiendi, curam autem & jus Majestatis circa Sacra nequaquam imminuunt, siquidem id Princeps omnino observare tenetur, ne erroneae opiniones disseminentur, aliisque rudioribus & simplicioribus propinentur. (V.) In dijudicandis sententiis rerum theologicarum *non respiciendum esse ad dictamen conscientiae*, haec enim potest esse falsa & erronea, sed in solidum ad normam Scripturae fallere & falli nesciam. (VI.) Nos *Lutheri vestigia in ferendis infirmioribus non deserere*, neque etiam Principes ad truculenta consilia in heterodoxos exequenda incitare,

tare,